



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 184. Hujus pactionis articuli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV. A.C. 1420. S. Joannis secunda die Junii nuptiæ Henrici V. Angliæ Regis cum Catharina solemnî pompa celebrantur, Henrico de Savoisy Senonum Archiepiscopo Regiosponfos sacris cæremoniis conjungente, iploque Carolo VI. futurorum malorum ignaro, ejusque Conjuge Regina præsentibus, quæ in hac occasione contra Delphinum proprium Filium suum potius sese Novercam, quam Matrem exhibuit.

§. CLXXXIV.

Hujus pactionis Articuli.

Juven. Ursl. *Hist. Car. VI* Hujus foederis leges erant: Henricum a Carolo in Galliarum regno successorem agnoscendum, liberos masculos hoc matrimonio nascituros in Gallia successuros, si Pater socero superstes esset; vivente autem Carolo Henricum nomine Gallicæ Regis non usurum; ast administraturum eum Rempublicam cum titulo Hæredis & Gubernatoris; utraque Galliarum, & Angliæ Regna unienda, & ab uno tantum capite tenenda esse, nimirum ab Henrico, ejusque mascula progenie, verumtamen salva utriusque independentia; utrumque Regnum particulares leges suas conservaturum, salvis quoque omnium harum Provinciarum, omniumque Personarum juribus, ac privilegiis. Cæterum pacem cum Delphino ineundam non esse, nisi uterque Rex, Burgundiæ Dux, &

Et status utriusque Regni consensissent. Ju- Sæcul. XV.
 venalis Ursinus testatur, alia capitula a- A. C. 1420.
 deo iniqua & insana fuisse addita, ut po-
 tius silentio premi deberent.

§. CLXXXV.

*Expugnatio Senonum, Monterigoli,
 & Meloduni.*

Post hæc ambo Reges, & Burgundiæ
 Dux, Senonibus, & Monterigolo ca- *Juv. Ursin.*
 ptis, Melodunum obsidere parant. *ibid.* Ar-
 cis hujus Præfectus erat Dominus de Bar-
 basan, qui præsidiarios numerabat Equi-
 tum quam plurimos, vinci nescios, ac
 pro viribus resistere paratos. Equidem
 invicta horum virtus Henricum docuit,
 quantæ molis esset totam expugnare
 Galliam; nam quarto jam mense civitas
 frustra oppugnabatur. Delphinus locum
 ab obsidione Anglorum liberare tentabat,
 ast cum horum castra undique validis-
 sime munita essent, a proposito desistere
 compellebatur; unde obsessi famis vio-
 lentia expugnati deditionem fecerunt,
 quibus data est vitæ ac libertatis gratia,
 nullo lytro ab eis exacto. Nihilominus
 his conditionibus non stetit Victor, sed
 plurimi in custodiam dati sunt, sub ob-
 tentu, ipsis nil nisi vitæ veniam fuisse
 promissam. Ceterum de violata fide
 Angliæ Rex postulabatur.

Ff 5 §. CLXXXVI.